

fluit effective in actum qui ab ea procedit secundum certiore sententiam, et quæ videtur esse D. Thomæ in hac prima parte, q. LVI, art. I, et quæst. LXXXV, art. II, et qu. II de verit. art. VI, ubi speciem comparat calori in ordine ad actum cognitionis. Ergo substantiæ non competit munus, et ratio speciei intelligibilis, licet competat esse radicale principium operandi, sed non proximum, sicut est species. Et iterum species subordinatur potentiæ in ratione determinativi, quia potentia universalior est; substantia autem non subordinatur intellectui suo, sed intellectus illi, ut suæ radici, et principio.

Accumulatur alia difficultas, quia si semel substantia Angeli potest esse species sui intellectus, cum non inhæreat illi, non apparet cur non possit substantia alterius Angeli conjungi, et præsentari intellectui alterius; et sic sine specie informante ipsum intelligere, quia nullum hujus rei impedimentum afferri potest, et non videtur major unio, aut præsentia requiri, quam quæ fit per intimam assistentiam, et propinquitatem objecti spiritualis cum potentia. Et tandem, quia si substantia Angeli seipsa est intelligibilis, et spiritualis in actu, cur non poterit seipsa terminare intellectionem, et esse loco speciei expressæ, nec enim major immaterialitas aut intelligibilitas actualior requiritur pro specie expressa, quam pro impressa.

IX. Nihilominus istæ conditiones etiam non desunt substantiæ Angeli, ut intelligibili, sed eas habet, licet non eo modo quo species, quæ est accidens, sed altiori. Itaque substantia spiritualis non solum subjective, sed objective se habet ad intellectum, et in quantum subjective, sic sustentat, et recipit intellectum entitative, quia intellectus illi inhæ-

ret, in quantum vero objective, sic comparatur ad intellectum, ut actuans, et determinans illum intelligibiliter, ibique non operatur, ut substantia, sed ut intelligibile determinans, cum alia sit unio, et conjunctio in ratione entis, alia in ratione intelligibilis, et secundum primam concurrat substantia per modum sustentantis, et subjecti, secundum vero alteram per modum objecti specificantis, et determinantis objective ad intelligendum. Unde S. Thomas qu. VIII de verit. art. VI ad II dicit, quod: «Essentia Angeli quamvis non possit comparari ad intellectum ejus, ut actus ad potentiam in essendo, comparatur tamen ad ipsam ut actus ad potentiam in intelligendo.» Et solutione ad VI inquit, quod: «Essentia Angeli est in intellectu ejus, sicut intelligibile in intelligente, intellectus autem in essentia sicut potentia in substantia.»

X. Sed quia difficile intelligitur quomodo ista actuatio fiat a substantia ipsa, quasi superveniente, et reflectente super intellectum, ita ut prius intelligatur a substantia Angeli entitative considerata emanare intellectus quasi proprietas ejus, deinde vero intellectu sic considerato in potentia, et adhuc informi, sicut ei infunduntur species aliarum rerum, ita ei substantia ipsa se superinfundat, seu actuet illum alia unione quam habebat ex vi entitatis, ut sustentantis, et recipientis intellectum sibi inhærentem: hoc enim difficile intelligitur quod fiat a substantia ipsa secundum suam intelligibilitatem præcise, et non secundum realem entitatem, cum munus speciei, et intelligibilitatis non separetur a realitate, nec possit intelligi realis unio, etiam intelligibilis, quin exerceatur secundum aliquam realem entitatem saltem præsuppositive; realis autem

entitas substantiæ, ut intelligibiliter superuniatur intellectui jam existenti, et sibi inhærenti, non apparet quo genere causæ uniatur illi, quia in genere causæ materialis unit sibi intellectum entitative, non ei unitur intentionaliter et objective, quia in quantum objectum, non sustentat in esse, sed ut subjectum: in genere autem causæ formalis non apparet quomodo possit substantia realiter actuare, et informare ipsum intellectum, qui est accidens sibi inhærens. Dicere autem quod sufficit assistentia, et præsentia substantiæ non assignando in quo genere causæ talis substantia jungatur, et determinet intellectum, est nihil dicere, quia id quod se habet ut species, non solum per extrinsecam assistentiam, sed per intrinsecam unionem debet actuare, et determinare potentiam: intrinseca autem unio, et determinatio in aliquo genere causæ esse debet; et sic currunt difficultates positæ, quæ non evacuantur dicendo, quod substantia Angeli intime assistit, et præsens est, non autem explicando quomodo præsens sit.

XI. Propter hoc videtur mihi subtilissime attigisse Cajetanus modum hujus actionis, dum super quæstionem LVI sequentem, art. I, proponens hanc eandem difficultatem, quomodo possit substantia Angeli informare intellectum realiter in esse intelligibili, respondet quod substantia Angeli informat intelligibiliter intellectum, non per inhærentiam, nec per informationem, sed per identitatem. Et cum urgetur hoc amplius, quia intellectus est qualitas distincta realiter a substantia Angeli: ergo non identificantur, nec per identitatem conjungi possunt, respondet quod identificatur intelligibiliter cum ipsa substantia intelligente, seu cum ipso radicali

principio intelligendi, quatenus ab illa substantia fluit vis intellectiva, non indigens respectu sui specie superveniente, sed ab ipsamet substantia objective determinata. Itaque uno verbo substantia Angeli ut objectum, et ut objective intelligibilis informat per identitatem ipsum intellectum radicalem, id est, ipsamet substantiam, ut est radix, et principium intellectus, non autem informat ipsam potentiam intellectivam in se, sed ex tali identitate substantiæ in ratione objecti intelligibilis, et subjecti intellectualis effluit potentia intellectiva, ut virtus intelligendi a subjecto, et ut determinata intentionaliter ab objecto, quod est ipsamet substantia; et sic non indiget ad determinationem erga objectum alia informatione ipsius substantiæ superaddita intellectui, nec alia specie accidentali superaddita, quia jam ipsa potentia intellectiva emanat a sua radice, et principio, ut determinata, et completa ad seipsam intelligendum. Est ergo considerandum quod substantia Angeli, quia immaterialis, et spiritualis est, per seipsam est actu intelligibilis, et intellectiva, et esse intelligibilem pertinet ad principium objectivum intelligendi, esse autem intellectivam pertinet ad principium subjectivum, a quo egreditur operatio intelligendi ut a principio radicali. Et sic cum ipsa substantia sit radicaliter suus intellectus, identificantur in intellectu radicali, qui est ipsamet substantia Angeli duæ illæ rationes seu formalitates, et objecti intelligibilis, et subjecti intelligentis, unde cum in una radice intellectus istæ duæ rationes concurrant per identitatem, scilicet ratio objectiva et subjectiva, intelligibilis et intellectiva, quando a tali radice intellectuali emanat potentia intellectiva, emanat ut vis intellectiva, seu

operativa intellectionis, et ut determinata, et completa objective a seipsa ut ab objecto intelligibili: sicut si potentia visiva emanaret a substantia animæ sensitivæ, et simul a specie coloris, et luce emanaret ut determinata ad videndum talem colorem, nec indigeret specie superaddita ad videndum colorem illum, quia jam in ipsa emanatione determinationem haberet ex ipso objecto intentionali emanando: perinde enim est habere determinationem per supervenientem informationem, atque habere per prævenientem emanationem, quia emanando accipit a sua radice, et principio quidquid perfectionis in eo est, et eo modo quo potest ab illo habere; et sic species substantia facit per emanationem in intellectu proprio quidquid species accidens per inhæSIONEM.

Ex his respondetur ad omnes difficultates propositas.

XII. Ad primam constat ex dictis quod substantia Angeli non solum unitur intellectui subjective, et per modum principii a quo emanat, sed etiam objective, et intelligibiliter, non solum intellectualiter, quatenus in eadem substantia concurrunt, et identificantur intelligibilitas et intellectualitas, ita ut illa substantia per seipsam sit intelligibilis in actu, quia immaterialis, et spiritualis in actu, et non accipit intelligibilitatem ab aliquo superveniente. Et ideo cum intellectus emanat a tali substantia, quæ simul est actu intelligibilis, et intellectualis, emanat ut virtus intelligendi, et ut intelligibiliter, et objective determinatus ab ipsamet substantia, ut objectum intelligibile est, et non solum ut subjectum intelligens, ut explicatum est.

Unde nescio quid Vasquez voluerit, cum illa disputatione cccv, cap. II, circa finem, dicit quod conjunc-

tio essentiæ cum intellectu in Angelo nihil omnino conducit ut essentia sit principium particulare in sui intellectione, quo determinetur efficacia communis intellectus; ipseque potius censet intellectum esse principium proprium, et propinquum determinans essentiam, et substantiam Angeli, quam e contra. Si enim vult quod intellectus determinat substantiam tamquam virtus, seu potentia formalis, radicalem vere dicit, sed non est ad præsens, cum difficultas solum sit de determinatione ex parte objecti, et in ratione rei intelligibilis, non de determinatione ipsius potentiæ radicalis, quæ est substantia per ipsam virtutem formalem, quæ est intellectus. Si autem vult quod ipse intellectus habet vim speciei ad determinandum seipsum loco essentiæ tamquam objecti, hoc valde inconvenienter dicitur, quia intellectus non est similitudo intentionalis substantiæ, sed vis operativa illius; unde ad ipsum non pertinet efficacitatem repræsentandi habere, sed eliciendi actum seu operandi: nec intelligibilitatem actualem accipit essentia ab intellectu, sed a se habet, quia a se, et non ab intellectu habet spiritualitatem, et immaterialitatem; et sic intellectus non servit ut essentiam reddat intelligibilem, nec per modum speciei repræsentantis essentiam, sed ipsa essentia ut conjuncta intellectui habet rationem objecti intelligibilis, et subjecti intelligentis, ut explicatum est. Cur autem non possit similiter intellectus ipse habere utramque formalitatem, et virtutis qua operatur essentia, et speciei qua repræsentatur, sicut eadem substantia radicaliter est principium operativum, et formaliter objectum intelligibile? Ratio est, quia esse repræsentativum objecti quando est accidens, respicit objectum

per modum similitudinis quo res ipsa redditur repræsentata intellectui, intellectus autem habet se per modum virtutis elicitivæ, et operativæ intellectionis; quæ duæ rationes inter se dicunt diversas entitates, nec est cur adunentur in unam tertiam quæ complectatur utrumque munus, si ex se, et ex specie sua ita est diversum, quod unum est repræsentare, aliud vitaliter elicere, et operari. In rebus autem creatis ea quæ in aliquo ordine dicunt diversas rationes distinguentes entitates specificæ, in eodem ordine non sunt una entitas, sed si adunantur in una entitate est, quia elevantur ad altiorem ordinem, in quo redduntur unita, quæ in inferioribus sunt dispersa: in ordine autem intelligibili entitas operans, et repræsentans diversæ sunt, ut patet in speciebus advenientibus potentiæ: non ergo in eodem ordine una entitas esse possunt. At vero substantia ipsa intellectiva cum spiritualis, et immaterialis per seipsam sit, per se etiam intelligibilis est actu, et consequenter munus speciei habet.

XIII. Ad id quod dicitur de anima nostra, quod pro præsentati statu non est præsens, et unita intellectui objective, licet sit unita subjective, et ut sustentans illum, respondetur quod pro hoc statu illa unio objectiva, et in ratione speciei ibi est in virtute, sicut status separationis ibi est in virtute, sed non in actu manifestatur, etiamsi actu jam existat in intellectu propter conversionem ejus ad sensibilia, ex qua impeditur intelligere seipsam immaterialiter pure per seipsam. Itaque intellectus, ut emanat ab anima, emanat ut a radice intelligente, et ut ab objecto intelligibili, sed non actu manifestante intelligibilitatem suam pure spiritualiter, et per se immediate pro isto statu, sed impedita

manet intelligibilitas ob conversionem ad sensibilia; et ideo illa conjunctio ad intellectum intima tam in ratione intellectualis, quam intelligibilis non operatur manifestationem usque ad statum separationis.

XIV. Ad secundam difficultatem patet ex dictis, quod substantia Angeli non actuat intellectum formaliter, sed identificatur cum illo radicaliter, seu in sua radice, et exinde dimanat intellectus ut virtus intelligendi determinata, et completa, non solum ex parte subjecti, et in ratione vis intellectivæ, et elicitivæ suæ operationis, sed etiam ex parte objecti intelligibilis ut determinatæ erga tale objectum, quatenus ab ipsa substantia dimanat, ut a radice intelligendi, et ut formaliter in se intelligibili, ut explicatum est.

Quod si instes: Nam non sufficit objectum in esse objecti, seu in esse intelligibili identificari cum intellectu radicali, id est, cum ipsamet substantia ut radix est intellectivæ virtutis, sed oportet quod cum ipsamet potentia radicata, et emanante, et non solum cum ipsa ejus radice uniatur, et identificetur; si quidem intellectio Angeli qua intelligit se, debet procedere ab ipsa intellectiva virtute proxime, et immediate, et non solum a radicali, quæ est ipsa substantia: ergo oportet quod ipsa virtus intellectiva proxima, et formalis sit determinata proxime, et formaliter ab objecto, quia a potentia, et objecto paritur notitia, non autem paritur nisi a potentia proxima, et formali: ergo etiam ab objecto proxime, et formaliter eam determinante, et actuante: quod si identificatur, vel unitur intellectui, erit unio in esse intelligibili, sicut per alias species intellectus unit sibi objecta repræsentata in esse intelligibili: nec repugnat quod illa

nnio, qua substantia unitur intellectui suo, sit virtualiter duplex, alia qua unitur ei, ut subjectum radicale sustentando, et emittendo illam a se per emanationem, alia qua unitur ei ut objectum determinando, et specificando objective; sicut in nostra sententia, existentia quæ ab essentia distinguitur unitur ei dupliciter, et tamquam subjecto quod est in potentia ad esse, illudque recipit, et tanquam principio specificanti ipsam existentiam, quia existentia hominis, v. g. habet speciem existentia humanæ qua distinguitur ab existentia equi, ex ipsa essentia quam actuat, et a qua determinatur ad hanc speciem, respondetur non sufficere identificationem objecti cum virtute radicali intelligendi sine dimanatione ipsius vis intellectivæ a tali identificatione, et ut participante ab ipsa substantia id quod virtutis est in eliciendo, et id quod objecti est in determinando. Illa autem identificatio objecti cum virtute radicali simul cum emanatione potentia ab ipsa, participando utramque perfectionem, et in ratione intelligibilis objective, et in ratione intellectivi subjective sufficit ut talis intellectus determinatus maneat ab objecto, procedatque illa cognitio a potentia et objecto, quia ad hoc ut ab objecto procedat, sufficit quod ipsa substantia mediante intellectu influat in actum, non solum ut intellectiva radicaliter est, sed etiam ut intelligibilis, ut statim dicemus. Ut autem determinet intellectum in esse intelligibili, non requiritur quod uniat illi entitative per superadditam unionem, ut explicatum est, nec quod identificetur cum intellectu identificatione aliqua entitativa, ut de se notum est, cum intellectus sit entitas realiter distincta a sua substantia, etiam ut intelligibilis est. Nec denique fit aliqua alia identifi-

catio, seu unio formalis in esse intelligibili superveniens intellectui post emanationem a sua radice, quia hæc non apparet quomodo fiat, sine nova actione, et applicatione in qua fundatur unio: nam etiam ipsa essentia divina quando de novo unitur intellectui beati per novam actionem, et applicationem qua immutatur intellectus beati, fit illa unio, in essentia autem Angeli non fit nova immutatio et applicatio essentia suæ ad intellectum ut in ratione objecti ei uniat. Restat ergo quod fiat identificatio, et unio radicalis, et virtualis secundum quod ipsa substantia ut radicaliter intellectiva est, etiam formaliter, et actu intelligibilis, et ex tali radice sic intellectiva intelligibili emanat potentia, etiam intelligibiliter determinata, et non solum ut vis intellectiva et elicitiva: potestque trahere, et participare per talem emanationem, objectivam determinationem formaliter in se ab intelligibilitate substantia radicali, sicut trahit vim eliciendi, et operandi intellectionem ab ejus intellectiva vi radicali. Quod vero dicitur de existentia, quod eadem unione, qua conjungitur essentia, et recipitur in illa, ut in causa materiali, etiam specificatur, seu determinatur ab illa ut a formali, dicimus ita esse et inde explicari nostram sententiam, quia sicut existentia specificatur, et determinatur ab essentia, non per hoc quod essentia superveniat existentia, eique ut causa formalis de novo uniat, ipsa existentia materialiter suscipiente essentiam, et specificationem ejus, sed per hoc quod existentia ista, quæ resultat ex productione talis essentia, adæquat illi; et sic modificatur in ipsa receptione a specificativo hujus essentia, participatque, et ebit existentia ab ipsa essentia determinatam illam speciem; ita intellectus ex

hoc quod dimanat a substantia, in qua non solum est intellectiva vis radicaliter, sed etiam intelligibilitas objective, quia immaterialis, et spiritalis est in actu, ex hac emanatione ebit, et participat non solum intelligendi virtutem ab illa radice, sed etiam determinationem objectivam ab illa intelligibilitate; et sic manet actuata, et determinata a sua substantia, ut ab objecto, non per informationem supervenientem, sed per emanationem a tali substantia, etiam ut habente rationem objecti intelligibilis, ut dictum est.

XV. Ad tertiam difficultatem respondetur, quod speciei intelligibili prout abstrahit a substantiali, et accidentali, convenit influere effective in actum, sed modus influendi non potest eodem modo se habere quando est accidens, et quando substantia: quando enim est accidens subordinatur potentia, et influit in actum tam proxime, et immediate in actum quam potentia. Quando autem est substantia, influit in actum mediate, et radicaliter, sicut ipsamet substantia, quæ est virtus radicalis cui identificatur ipsamet substantia ut est ratio intelligibilis objectiva, et exinde emanat intellectus ipse ut participans a substantia utramque rationem, et virtutis operativæ, et determinationis objectivæ; et sic operatur proxime intellectus, ut determinatus, et perfectus objective per suam substantiam in emanatione ab ipsa. Et sicut ex vi ipsius emanationis, semper quod influit intellectus in actum vitalem, influit, et operatur mediante illo substantia in eundem actum, quatenus radix illius est, ita semper quod influit intellectus in intellectionem sui, influit etiam, et operatur substantia in eundem actum, non solum ut subjectum, et radix vitalis est, sed ut objectum intelligibile tali radici identificatum, et

sic ut species sui concurrat ad intellectionem, non subordinata potentia, sed subordinans, sibi potentiam, quatenus subordinatur illi ut radici intelligendi, et ut objecto intelligibili identificato eidem radici. Nec est inconveniens quod potentia intellectiva in eliciendo actum subordinetur objecto, sicut et subjecto intelligenti, seu radici intellectualitatis: nam objectum de se est actus ipsius potentia, eamque perficit, et determinat. Unde quando objectum per intelligibilitatem substantialem concurrat, subordinabit sibi potentiam intellectivam, non ipsa substantia seu objectum potentia intellectivæ subordinabitur, sicut in concursu essentia divinæ cum intellectu beati in ratione speciei impressæ, non ipsa species subordinatur intellectui creato, sed intellectus illi: ergo non est de essentiali ratione speciei, quod ipsa influat in actum ex subordinatione ad potentiam, sed potest etiam e converso contingere, nempe per subordinationem potentia ad objectum, quando ipsa potentia emanat a substantia, non solum ut a subjecto, sed etiam ut ab objecto sui. Ex hoc modo explicat Cajetanus in quæstione LVI, art. 1 exemplum D. Thomæ de calore, quod non minus erit forma operans calor subsistens, quam calor inhærens, quia si calor, inquit Cajetanus subsisteret in ligno, ut identice se habens cum illo, non minus calefaceret, quam si est inhærens: et similiter si species visibilis esset per se subsistens per identitatem in vidente, esset nihilominus principium formale unionis in eo. Cum ergo species substantia Angeli sit idem quod ipsa substantia, operatur ut principium formale intellectionis suæ, non immediate influendo formaliter in actum, sed radicaliter, quatenus ab ipsa substantia, etiam ut intelligibili ema-